DISSERTATIO

QUAM

IN NEAPOLITANO LYCÆO

PUBLICE PROPUGNANDAM

EXHIBUIT

L. C. LAMOTHE,

Medicinae Doctor, et in Italia
Nosocomiorum Militarium

CHIRURG.

NEAPOLI MDCCCVIII.

Ex Typographia Angeli Coda

Superiorum permissu.

Humanitatis et Veritatis
Amantibus.

Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea disperabilis renuit curari . . . . . .

Jeremias, propheta.

DOMINI AC DOMINI:

AB illo usque temporis momento, quo Urbem vestram ingressus sum, vos' visere, et alloqui ardenter optavi, ut sicut de mea summa reverentia certiores feceram, et pariter de arte divina, plerisque hominum ignota, ego cum vobis disseram. Hoc tamen gravissimum meos hodie humeros premit onus, etiamsi hic subeam locum insolitum mihi summi pretii, et haec pariter inusitata homi-

minum frequentia munus sit inconsuetum. Vos, quibus sapiendi fuit potestas, favorem a vobis peto omnibus, et hac die gressus dirigite meos, nec aberrare mihi sinite!

Viri vere magni, et humanitatis amantes, blanditias hic non ingeminabo, neque vero mitissimis verbis applausus conciliabo. Sic igitur, aure benevola, et aequo animo audite me; audite, quia in artis abdita penetraturus vobis me offero comitem. Heu! viri docti, motus tantum zelo pio, vos magnorum virorum ad exempla a tergo conspicabor, et dum nunquam dabitur assequi, saltem ex intervallo in virtutem sequar. Vos venerer, o praeeuntes!

Nunc autem, *Patres illustrissimi*, si indignus non sim a vobis audiendus in dicendo rerum divinarum vestrarum, loquar de *Cancro*, teterrimo morbo. Certam vero cancri definitionem tradere difficilimum est; hinc solummodo quam observatio, quamvis imperfecta, suppeditat, exponam. Cancer vulgo definitur, tumor durus, tuberosus, dolore perterebrante stipatus, et venis circumdatus nigris ac varicosis. Cum ea sola recensita offert symptomata, dicitur cancer occultus: sed his si addentur sequentia; verbi gratia, si, pelle ulcere scissa, ichorosum, foetidum et acerrimum eructet humorem, labia ipsius occalescunt, ac foedum

in

in modum invertuntur, et dolores atrociores fiant, nomine tunc donatur cancri ulcerati vel manifesti: inde malum oritur immedicabile, quod late solet serpere, et illaesas vitiatis addere partes.

Omnes omnino auctores qui de cancro egerunt, illum nonnisi fremendo descripserunt, sed non quocirca cum summa distinctione differentiam adnotaverunt, quae inter cancrum proprie dictum, et ulcus mali moris observari debet. Varia tamen extant *Celsi* loca, in quibus hujus distinctionis utilitatem ipse eleganter ostendit. In libro enim V. cap. XXVIII. haec sic adnotantur: discernere autem cacoethes quod curationem recipit, a carci-

no-

nomate quod non recipit, nemo enim scire potest, nisi tempore et experimento. Haec est experientia quae nobis deest!

Hic quidem non sine magna ratione admonebo, quod non desunt plurima ab ignaris decantata specifica, unde varias sanationes, quas perpetraverunt cum medicaminibus vanis, jactitant, dum ulcus mali moris seu cacoethes curaverant.

Dividi cancri debent caussae in internas atque externas. Quae revera externae dici merentur, multae sunt; inter quas enumerandae veniunt sequentes, scilicet: irritatio quaelibet externa; verbi gratia ictus, casus, attritus nimius, pressio valida a corpore duro illata,

aer

aer paludosus, nimium frigus, nimius calor, nimia exercitatio, etc. Caussae internae vero sunt, affectus animi tristiores, menstruorum suppressio, haemorrhoidum, vel evacuationis cujuslibet periodicae cessatio, sexcentaeque aliae, ac praecipue idio-syncrasia peculiaris.

Etsi quandoque repente generari cancrum doceant varia observata, maxime in mulieribus jam quadragesimum aetatis annum attingentibus, dum cessat evacuatio periodica; quaedam vero a constitutione physica, hoc aetatis tempore, huic fero morbo destinatae videntur.

Hinc non immerito concludendum, quod mulieres cancro obnoxiores

sint

sint quam viri, et adulti quam infantes; mulieres steriles praesertim et otiosae, quae pinguedine sunt onustae, flavae, atque colore pallido vel livido dotatae, sunt fere omnes huic morbo subjectae. Sic, ut experientia demonstrat in sexu amabiliore, ac vitae nostrae delinimentis destinato, heu! saepius praecipua pulchritudinis ornamenta hoc stygio affectu deformata videntur (1).

His positis nunc consideremus cancrum qui, ut plurimum, scirrho

(1) In sententia mea mammillae sunt praecipua pulchritudinis ornamenta. Qui tamen negabit quod non sint ex praecipuis, assentiat saltem, quod propter utilitatem maxime sunt colendae.

rho succedaneus est: quod tunc sic cognoscitur, scirrhus primum indolens, cuti concolor, nullo vel maxime hebeti sensu donatus; sed malignus evadit, et cancer incipit quando dolor in eum persentitur; tunc etiam color mutatur, tumor scabiosus evadit, et prurit; tunc maxime ecce cancer incipiens, sive primum cancri stadium. In secundo cancri stadio, praedictis symptomatibus accedunt plura alia gravissima mala: crescit in dies tumor, apex in copta surgit, dolor lancinans et adurens aegrum detorquet, vasa turgentia, varicosa et circumfusa apparent, quae duras radices undique dimissas mentiuntur, color evadit fuscus, coeru-

ruleus, aut violaceus, tumoris tandem incremento disrumpitur cutis; tunc adest cancer horridus, fundens saniem ichorosam, acrem, nunc viridem, nunc sanguinolentam, vicinas partes dirum in modum corrodentem, et odorem foetidum, ac nauseantem exhalans, qui fere absimilis est illi, qui ab ulcere scrophuloso, venereo, scorbutico, variolico, atque herpetico provenit, quamquam vehementer sit sordidus. Sat rapide progreditur in ambitum ulcus teterrimum, cujus labia inversa et tumida ad instar cujusdam fungorum speciei: paulo post succedunt dolor intolerabilis, febris lenta, corporis emaciatio, haemorrhagiae demum et

con-

convulsiones, quae mortem indicant ostia pulsantem, aegroque tartareis torminibus cruciato expectatissimam inferunt horam. Sic miser in atro subdita Plutoni regna descendit.

Omnes corporis partes hicce pervicacissimus morbus afficere potest, sed illas tamen imprimis aggreditur, quae sunt laxiores et glandulosae, etsi nulla fere ab eo morbo immunis censeri debeat provincia humani corporis, cum passim legere sit apud observatores, illum occupasse in foeminis praecipue mammas, vaginam, uterum: in hominibus, testes, virgae summitatem, labium inferius in alterutro sexu, faciei pellem, pericra-

nium,

nium, oculos, genas, nares, aures, labia, gingivas, linguam, mentum, mammas utriusque sexus, hepar, lienem, vesicam urinariam, intestinum rectum, anum, pancreas, et omnes glandulas lymphaticas. Ergo universitatem compaginis humanae totam huic morbo fere submissam concludere pronum est.

Variae observationes comprobant maxime contagiosum esse cancrum: scripsit etenim *Tulpius* hominem quemdam periisse cancro in gingivis enato, ex eo quod mammam uxoris cancrosam, dolores sublevandi gratia, suxerat. Idem evenisse fertur *Smith*, chirurgo londinensi, qui degustato humore can-

cro-

croso, odore foetidissimo ex hoc nunc devexatus, morte poenas luit temeritatis. Pariter Dominus *Le Dran*, in investiganda diri hujus humoris indole victima quodammodo fuit indagationis, exilientibus in oculos aliquot istius liquoris guttulis, quae illum vehementer anxiarunt; et non sine negotio ac periculo liber factus est. A pure quoque super linguam posito cancer enasci potest; tamen non valde probatum est quod uteri cancer sit semper communicatus homini qui tunc Veneri servit.

Plurima quidem scripta sunt de indole virus cancrosi. Vulgo creditur illud oriri a succis glandulosis, vel lymphaticis putrescentibus, pro-

pter

pter sublatum ipsorum cum caeteris humoribus commercium, aut qui per congestionem in aliquam corporis partem, a quacumque caussâ ortam, sese cumulant; alii dicunt, hoc virus nihil aliud esse, nisi lympha in tabum putre, et alkalinum conversa, et experimenta super hoc instituta a viris summis huic sententiae non refragantur. Sic origo modo tribuitur chemica huic acrimoniae; verum quantum a mere passivis distat humana machina, nemo non videt. Apprime ideo Dominus *Lecat* dixit, caussas mere physicas prorsus impares esse virus producendo in corpore vivo; egregieque statuere nititur putridam animalis viventis

cor-

corruptelam repetendam esse a praepedito influxu spiritus dicti vitalis, quem conservatoris nomine donari voluit, ob ipsius, quam credidit, virtutem anti-septicam omnium praestantissimam; ast quod reapse sit illud, non adhuc constat, et forsitan in Soecula clausum permanebit. Sed, quidquid sit de natura calamitosi hujus humoris, satis patet quot et quantas, in sanguinem resoptus, secum trahere valeat strages; observata enim demonstrant, ossa ipsa nunc mollia, nunc fragilia, nunc tumefacta, nunc corrosa ac contracta per ipsum reddita fuisse; immo quandoque visum fuisse quod hoc virus, etiam post mortem, tam ossibus adhaerebat ut illa quasi com-

comburereт, et in pulverem tenuissimum reduceret. Musculi ipsi duri ac tumefacti fiunt, et virus totam humoris massam infestat; et varia accidentia producit; quemadmodum unam vel alteram partem affligit. Inde vehementissimi dolores, qui rheumaticam naturam habent, et diuturnam ac intolerabilem molestiam afferunt, pariterque laboriosissimam vigiliam; inde quoque suffocatio, tussis sicca, respiratio difficilis, quae in thoracis cavitate praeternaturalem lymphae putridae, aut sanguinolentae collectionem significant: tunc autem fugit noctis amica quies, et in hoc quoque ultimo vitae stadio, aeger pulsum habet parvum, intermittentem, inae-

qualem ac internum. Si virus cancrosum caput occupat, tunc apoplexia sequitur lethalis.

Non solum autem contagiosum, sed et hereditarium esse cancrum assentiunt perplures cum *Hippocrate*, qui in Coacis praedixit, ante pubertatem non enasci nisi congenitum. In omnibus aetatibus supervenire potest cancer, in aetate vero infantili et ante pubertatem nunquam apparet.

Omnibus usque adhuc descriptis accidentibus adjicienda sunt ea, quae ab herpetica acrimonia nascuntur. Inde autem variae intumescentiae species in mammillae regione, aut glandulosis sedibus in indolente efformantur scirrho, et ad per-

fe-

fectam diagnosim quam maxime facientes in mammilla deprehenduntur. Intumescit in mammilla scirrhus, tumor aliquando ad immensam pervenit molem, et ibidem observatur durus, pressioni non cedens, et ex temporis lapsu in cancrum degenerat: hic tumor facile curationem recipit, quemadmodum in praxi observatur. Haec consistit in molis inorganicae destructione, quae locum habere potest ope scalpri, et tractari deinde cauteriis ad brachia adplicatis, aut vesicantibus debet, tonicis quoque remediis, ac amarorum succis medicamentorum, cichoraceis, purgantibus, ac praesertim regimine. Si morbus sit levis, recens, aut mitissimus, praedictis su-

subsidiis curari potest, sine cruenta operatione.

Omnes quoque periti observatores sciunt quod virus scrophulosum, in aetate non adhuc nubile, aut in foeminis menstruorum defectu laborantibus mammillam occupare potest, et in ea degenerationem quamdam afferre valet, quae a descriptis infra accidentibus facile dignoscitur: tumor non dolet vel parum; tumores tenacissimi in glandulosis sedibus deprehenduntur, ac eorum induratio, inferioris maxillae tumefactio; idem representat labium superius; quibus quoque adjungi debet pallor faciei, aut lividitas maxima.

Non raro quoque, juxta plurimo-

morum effatum; mammillarum tumores passim erumpunt, quorum origo contusioni, aut pressioni validae, a corpore duro illatae, debetur, et a principio vero neglecti, scirrho non dolente terminantur, ac sensim in tumorem cancrosum evadunt, utpote fluidum in eo contentum denotat. Sunt vero inexperti Medici, qui huic morbo nomen cancri praestant; sed hoc non est aliud nisi fluidum sanguinolentum ac foetidum in mammillae corpore collectum, et sine praeexistente inflammatione efformatum. Dolor in hoc casu tolerabilis est, cutis color non est mutatus, et ad attactum fluidum persentitur. Pariter quoque videntur

ef-

efformari aliquando quidam tumores versus externam partem musculi pectoralis, qui evidenter congestionem lymphaticam ac vitiosam denotant. Hi tumores pertimescendi sunt, quia cum molestissimo doloris sensu conjunguntur, mammillam consequenter laedunt, ac mitiora ludunt remedia. Multa alia in libris veterum ac recentium reperiuntur.

Adeo ferox est cancer, et tam acerbus, ut mitiora ludat remedia, fortioribusque saepius irritetur; unde incurabilem ac lethalem hunc serpentem uno fere ore proclamaverunt veteres, plurimique adhucdum credunt recentiores; et certe cum sit moles, amisso organismo,

sup-

suppurationis nescia, si qua sit curatio, consistit illa in hujus molis inorganicae destructione, quae tamen locum nunquam habere potest ope scalpri, ut patet in cancris internas corporis partes desolantibus, nec aliquando in externis; casus enim sunt, qui relligiose distinguendi, in quibus non tantummodo nec tuta, nec salutaris est haec operatio, sed etiam inutilis, et persaepe fatalis. Sic autem sunt extirpandi tumores cancrosi, quando ex ablatione, salutis, vel vitae conservandae spes affulget; non tangendi vero, quando majus ex istâ ablatione, quam e relicto cancro minatur periculum. Lucet inde quanta sit sagacitas adhibenda ad rectam

ctam horum casuum disjudicationem conquirendam; hanc autem non nisi ex proba signorum infra dictorum recognitione eruere potest Medicus. Omnia igitur quae in invasione morbi, ante, et in ejus decursu occurrunt, etiam minimula, non negligat.

Ex his praelapsis nunc duplicem admittimus curationem, palliativam nempe et sanativam, seu melius forsitan extirpationem, tanquam unicam methodum ac certam, qua perfecte sanari possit cancer. De palliativa primum agemus, cum frequentius ad illam sit recurrendum.

Imprimis summopere cavendum ne tumor ullo modo agitetur, vel com-

comprimetur, ideo operiendus panno molli, vel gossipio. Degat aeger in aere puro et temperato, sicco potius quam humido. Alimenta sint bonae notae, facilis digestionis, nec in rancorem, nec in corruptionem spontaneam proclivia: huc veniunt optima vegetabilia, lac, cremores hordei et orysae, vitelli ovorum, pisciculi, paucae carnes et leviores, ut pulli gallinacei, vituli, vervecis, etc.: amovenda caro bubula, cervina, porcina, anatria, etc.; cibos duros, salitos, infumatos, abi procul hinc. Potus sit demulcens, ut aqua pulli, vituli, ranarum, vel tisana cum atriplice, boragine, blito, etc., vinum album sed tenue, et paucum. Exercitium mo-

moderatum, laetumque. Somnus, in quantum fieri poterit, plenior. Motus animi vehementiores caute vitandi. Veneri, etsi adhuc cariori, magnum vale. Alvus si pigra sit, levissimis laxantibus enematibusque interim movenda. Si aegrotans sit plethoricus, venae-Sectio moderata, dixit *Galenus*, non nocebit; ita tamen prudens sit Medicus, ut inde non eveniant graviora accidentia: fonticulus et quoque institutus curationem juvandi potis erit. Interim tamen non negligendus usus internorum medicaminum, diluentium nempe, temperantium, leviterque aperientium, sic jusculorum ex vitulo, pullis junioribus, cichoraceis, etc. Saponacea item, quip-

quippe quod sanguinis depurationi, ut dicunt nostri Medici, faveant, curationem juvare possunt; verum caute cum istis mercandum: idem sentiendum de multis aliis. Hoc regimine servato, visi sunt homines, si fas sit relatis fidem dare, cancro laborantes, per plurimos annos non tam tristissime vixisse, et lente ad interitum progredisse.

Etsi vero cancri ulcerati nullo securo modo sanatio sit expectanda, et tunc adhiberi debeat curatio tantum palliativa; quodque si non sit adhuc ulceratus difficilima sit sanatio, cum nullum usque nunc sit inventum specificum adversus illum; tamen in contrarium varia medicamenta clamitaverunt Medici

non

non infimi subsellii, et varia scripta diversorum auctorum colligere loboris toedique plenum esset opus, minimae etiam utilitatis, cum expectationem tantis promissis nullo modo respondere, neoterici saepe saepius fuerint experti. Quaedam tamen summatim exponendo, in compendium mittemus.

Plurimi optimam reputaverunt methodum Storchianam, licet hujus fallaciam promulgaverint non modo D.D. *Andrès*, *Lange*, *Dehaën*, *Traller*, *Monier*, *Sotergil*, *Vogel*, *Petit*, etc.; sed qui veterum doctrinae pertinacius adherentes, sermonibus publicis ac gravibus, scriptis quoque hanc *Storchii* methodum damnarunt, et igne ferroque ipsius, ut ait vir bo-

bonus, scripta delenda existimaverunt: inclitus tamen *Storck*, ipsiusque discipuli felicissime non semel propinaverunt extractum conii maculati cum lacte permixtum, vel sub forma pillularum, incipiendo a grano pro binis dosibus quotidie assumendis, sed sensim augendo dosim usque ad scrupula et etiam ad drachmas quatuor simul assumptas; vel unam tantum dabant tertia quartave quaque horâ. Haud absimilem vim ac cicutae, tribui posse credimus belladonae, hiosciamo, mandragorae, terribili napello, solanis, daturis, aliisque plantis venenatis, quarum extractum intus adhiberi potest. Suadebantur quoque a non ignobilioribus Medi-

cis

cis daucus carota, carduus tomentosus, etc. etc. Depromi et etiam possunt medicamenta ex regno animali, qualia moschus, cornu cervi, bezoardium animale, coluber vipera, et alia infinita, quae satius tamen est involvere silentio; nec his audiendis minus adsuetus prehendat nauseam.

Etsi nostri non sit tantas componere lites, dubitare tamen non audemus, quin hujus plantae *Storchii*, et aliarum hujusce modi viribus tumores herpetici, scorbutici, scrophulosi, etc., vulgari therapeiae rebelles, aliquando fuerint profligati; sed haec mothodus in cancro omnes feliciori non beavit eventu, ut varii comprobant obices. Sed

quid

quid inde ? nisi quod mala fortuna cancer sane dictus in alterutro morbi statu incurabilis est, et nunquam remedia Medicorum votis respondent.

Si his jam propositis, una die; quis repetitis tentaminibus obtinere; et statuere methodum queat sicuram, ab hoc munere humanitati conferto, laudes omnium gloriamque ad seros usque nepotes certissime adepturus erit. Heu! hoc etiamnunc valde desideratur. Coeterum, *Proceres Generosissimi, et Cultores artis nostrae*, non solum a celeberrimo *Storck* laudata fuit cicuta adversus cancrum, sed a plurimis aliis dignissimis viris, inter quos annumerantur *Quarin*, *Locher*, in

Ger-

Germania; *Richard*, in Gallia; *Uhytt*, in Anglia, etc. etc.

In usum olim veniebat unguentum quoddam de ranis et butyro paratum. Gaz azoticum valde commendatum fuit tanquam anti-septicum, et chinae usus quondam invaluit, etc. Quoad topica vitanda sedulo putamus esse quaelibet suppuratoria, emollientia et resolutiva super ipsissimum tumorem, aut ulcus: illorum virtutes ego non perfecte nosse, et sincere cum dolore inficior; pariter quoque mihi videntur illa remedia humorem cancrosum pervetere ad interiora, et morbum exasperare; idem censeo de pinguibus et digestivis super ulcus. In usum ergo sola vocentur varia

ano-

anodina et absorbentia; inter prima parum valent folia belladonae, quoque in usum advocata, cicutae majoris, etc.. Opium valde eminet, et ejus decoctum super malum commendatum est, quia hoc medicamentum inflammationem ac dolorem tollit, sed etiam ab illius effectibus suppuratio supprimitur; inde metastasis et mors inevitabilis. Inter secunda omnibus praeeunt cortex peruvianus, colophona, gummis arabica, subtilissime pulverisata, saturninae praeparationes, tinctura thebaïca, pulvis e camphora et opio paratus, etc. Hic alia omnia remedia mihi videntur inutilia; et nihil aliud restat, nisi

vehementem mitesc ere dolorem, putrefactionem corrigere, et ad haemorrhagiam se se oppo nere. Atque haec sunt in universum remedia externa, quae in hoc casu conveniunt. Sic, paulo tardius, mors implacabilis, nullo indulgens remedio, praedam rapit.

Etsi enim eximios progressus fecerit ars salutaris, culmina tamen medicinae non attingimus; spes est quod veniet tempus, quo ista quae nunc latent, in lucem extrahet dies, et longioris aevi diligentia; quoniam nihil est in rerum universitate quod possit in sui primordio compleri, sed ferme in omnibus ante est spei rudimentum

tum (1). In professo est quod, et veteres et recentiores etiam ad hoc infortunium depellendum vanissima impenderint medicamenta, et quibus non solummodo quasi obsurdescit morbus, immoque in dies roboretur, aegrum libitinae manibus subripiendi parva sit spes, seu potius nulla; et nihil hunc in scopum intentatum remanet. Medicus tamen hoc in casu, nec verbis, nec extremo otio aegrum, jam sat anxium, perturbet; cum sit animi consolatio, dulcioribus, jucundis laetisque dictis et tenussimis remediis, quantum poterit, cubantem alludet, qui etsi fato cedat, non in-

(1) Ego enim ad finem artis non perveni, etsi jam senex sim, neque ipsius inventor Esculapius.... *Hippocrates*.

increpabitur Doctor machaonia clarus autem in arte.

Ego autem ad perfectam sanationem obtinendam, solam extirpationem certum credo auxilium; modo huic locus esse possit. Quamobrem quaedam crudelissimam hanc operationem expectantia sic paucis exponam. Si igitur ad extirpationem cruentam recurratur, attendendum necesse est ad amplitudinem, ad situm, vetustatem, musculi pectoralis adhaerentiam, qui tunc durus et scirrhosus factus est, ad aetatem, idio-syncrasiam; ad sexum, vires patientis, ad anni coelique temperiem, ad morbos, quibus successit, vel jungitur cancer, etc. etc.; si adhuc tumor sit an-

annosus, depressus, profundus, immobilis, a labe gentilitia, vel a causa interna exortus, enormiter circumfusus, in partibus delicatis situs; si aeger sit cachecticus, aut aetate provectus, etc. etc., ab operatione omnino abstinendum. Necesse est etiam, quod in mammillae cancro axillares glandulae non sint scirrhosae; si ita se habent, hoc est signum quod vitium cancrosum jam in totam sanguinis massam circulat; tunc autem nec tuta, nec salutaris est haec operatio, quamvis glaudulae axillares absolute extirpari videantur. Inutilis est adhuc operatio, et persaepe fatalis, quando vagi, accutissimi ac rheumatici dolores aliquam

quam corporis partem afficiunt; pariter quoque tussis sicca, frequens, et respirandi difficultas metastasim praenuntiant, et inutilem reddunt operationem. Haec operatio tam tristis, maxime in foemineo sexu, locum tuto habere poterit, si tumor cancrosus sit elevatus, a caussa externa ortus; si juvenis adhuc sit aeger, ac nulla adsit diathesis pessimae suspicio, si tumor sit mobilis, recens, circumscriptus, ac nundum, si possibilis sit, ulceratus, etc. Sine his autem praedictis tumor non est tangendus, et damnosa, ut non semel evenit, fieri potest operatio; extant enim exempla perplura cancrorum a minima particula tumoris relicta renatorum.

Non

Non tangendus itidem, quando latens humorum vitium tollendi nulla datur spes, nam certissime post tumoris eradicationem, etiam integram, in eadem vel alia parte repullulaturus erit: adhibenda tunc sunt remedia palliativa, de quibus jam loquutus sum, quibus si lenitur malum, prosequi, si exasperetur removere, et omnia quaecumque auxilia advocare, quibus quoque cruciatus sedari tantisper saltem poterunt.

Quando, ut omnes experimentati sciunt Medici, adeo parvi sunt ulcus, aut tumores cancrosi, qui super labia, vel in aliqua faciei aut corporis parte videntur, ut unicâ caustici applicatione penitus destrui

strui

strui possint, causticis utitor: sic pustulae cancrosae, ac verucae faciei, variarumque corporis partium cancrosam indolem adeptae, auferri poterunt. Ferrum autem usurpandum quando tale est volumen, ut non nisi iterata caustici applicatione totus tolli possit tumor. Sed heu! saepius plus valet arte docta malum!

Hic transeundo paucissimis verbis monebo, quod mala sorte reperiantur, nostris adhuc diebus, ignari medicastri, medici circumforanei, et ex temporibus praeteritis barbitonsores rustici, qui mirabiles morborum incurabilium sanationes, quas perpetraverunt spectatissime, jactitant, imprudenterque

que artem medicam omni modo deperdunt; nihil enim in usum non advocant, ut plebis credulioris, quae illos quasi de Coelo inspiratos reputat, numulos excutiant; ast quid auctoritatis habet furor iste divinus, ut quae Sapiens non videt, videat insanus, et qui humanos sensus amiserit, divinos sit assecutus? Longe a nobis hoc illiteratum hominum genus, et eorum detestabilis memoria absit ab humano pectore. Haec ignorantium turba misella reprehensionem potius meretur quam misericordiam, quia impostores hi miseri externam artis faciem monstruosam, ac deformem reddunt, et otiosis contemplationibus indigenae eam

de-

deturpant; ab illorum quoque ruditate, ubi vis locorum, superstitione, quandoque malitia, aut nequitiis sophistorum, impostorum ac fanatismo imbutorum, ita ars tam divina, perutilis et maxime necessaria, est defoedata, et etiam in aulis Principum et magnatum non repurgata; unde infinita remedia, fabulosis confecta turbati cerebri insomniis ad nauseam usque sunt oblata: at ipsa mors est ubi sunt vana vitae longae promissa. Hic, nunc te compello arcanorum monarcha *Theophraste*? ecquid acturus es laudem, ut mentem vel propriam, vel alienam, fugae studiosam, suo in corpore detineas? Ubi est *Paracelsus*? qui potentia

che-

chemica corpori mentem unire voluit. Ah! quare nunc ne vinculo chemico mentem propriam suo in corpore detinere non potuit? Heu! ille miser, miser promissor longevitae, anno aetatis septimo supra quadragesimum mortuus est, proprietates Pharmacum-vitae vocitans, quo ad *Mathusalemi* senectutem se jactitabat pervenire.

Hic patet quantum natura sit arte superior, et quantum debiles sint cognitiones nostrae; atque, arcanorum naturae nos ignari, veritatem non videmus; nec tamen difficile est: ex sola enim vitae fabricaeque corporis natura mors sequitur necessarie, aut communibus cum ipsa vita legibus natura obediens,

diens, hac pereunte demum illa peritura. Hinc mors serius ocyusque, certa tamen, denique obvenit. His finem consolantissimis verbis imponam, mors ultima poena est, et duros finit labores.

FINIS.